



# Apologia cuiusdam

REGIAE FAMAE STUDIOSI,  
qua Cæsariani Regem Christianis. arma & au-  
xilia Turcica euocasse vociferantes, impuri  
médacii & flagitiosæ calumniæ manifestè ar-  
guuntur.



LVTETIAE,

Apud Carolum Stephanum, Typographum  
Regium, è regione scholæ Decretorum.

M. D. LI.


Cum priuilegio Regis.

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text in the middle section of the page, appearing as several lines of script.

Handwritten text at the bottom of the page, including what appears to be a signature or a date.

Apologia cuiusdam Regiæ  
 FAMÆ STUDIOSI, QVA, CAE-  
 sariani Regem Christianis. arma & auxilia  
 Turcica euocasse vociferâtes, impuri mēda-  
 cii & flagitiosæ calūniæ manifestè arguūtur.



**N**ON illud mihi nunc  
 præcipuè mirandū oc-  
 currit, quod facere in  
 Germania, aliisque lo-  
 cis Cæsarianos anim-  
 aduerto: vt cūm gra-  
 tiam vndique & fauo-  
 rem Cæsari quærant,  
 odium ex cōtrario, at-  
 que inuidiâ Christia-  
 nissimo Regi conciliare conentur. Nec enim is  
 sum, qui præter insitam hominum animis prop-  
 ensionem quandam, principum suorum facta  
 ac dicta omnia propugnandi, multū etiam va-  
 lere negem ad ministrorū mentes permouēdas  
 contentionem ac studia partium: vt cūm se se-  
 mel in causam incitauerint, multa tum & fa-  
 ciant & dicant, quæ boni viri officio plurimūm  
 repugnent. Verūm id potius singulari dignum

admiratione iudico, quòd cùm id propositum habeant, vt omniũ Christianæ Reipublicæ malorum ac tumultuum causas, ad vnum illud caput Francorum Regem referant: ea tamen quibus id probent, colligunt, vulgòque iactant, quæ vt nulla accedat accuratior defensio, sola eorum qui audiant memoria (si modò ii sint, qui, quid dicatur attendere velint) facillè refellantur: vt liquido appareat non illis obtrectandi, quod faciunt, voluntatem, sed vel fingendi quæ veri tantùm similitudinem habeant, facultatem deesse. Ita est profectò: leuissimos homines & maledicendi libidine occæcatos eò tandem dementiæ peruenisse, vt aliquando sperarent posse fieri no ua ista tam palàm aperteque mentièdi ratione, vt in optimi atque innocentissimi principis gloriosissimo nomine labes aliqua infamiæ resideret, si aliter, atque vt omnes scirent & meminissent, facta esse quædam affirmarent. Scilicet sibi hæc credi ab omnibus postulant, Henricum Regem, quò sanctissimas Cæsaris cogitationes ac cõsilia impediret, ne concilium totius Christiani nominis haberi posset, ne Germani in Ecclesiæ Ro. potestaté venirent, ne pax ac concordia toto orbe Christiano aliquando constitueretur, cùm ipsum maximi nuper belli authorem extitisse, tum Imperatorem quoque Turcarũ cõduxisse, vt magnis terra marisq; comparatis exerciti-  
tibus

tibus Christianorum fines inuaderet . Quæ mihi sanè causa fuit, vti ego nunc quæ explorata ac comperta hisce de rebus habeo, ea literis mandare vellem: haud equidem quò rebus sua sponte clarissimis lucis aliquid afferre conarer: sed vt potius sicui fortè excidissent quæ nemo nescire potuit, nisi qui nihil scire curet eorū quæ vsquā publicè gerantur, is mecum illa memoria repetens, haberet quo perpetuò spectare ac mentis oculos dirigere cognoscenda veritate posset. Quam quidè ad rem tantò illos qui hæc legent, æquiores, & ad auscultandum attentiores habere videor debere, quòd in tam graui causa, qua maximi Regis maiestas ab iniquissima quorundam impugnatione defenditur, non aliam mihi ab iis gratiam posco, quàm vt rectū, & ab omni perturbatione vacuum animum ad iudicandum adhibeant. Ac primū quidem, cū duo illa nobis ad dicendum tanquam capita proponantur: vnum, quis belli, quod nuper exortum sit, author extiterit: alterum, quæ potissimum causa Turcarum classem ad nostra vsque maria exciuerit. De priore nihil hîc dicam, quòd eam mihi materiam seposui, de qua propriè & accuratè alio loco dicerem. de Turcarum autem clas̄is aduentu, ita nunc agam, vt vel nuda rerum quæ actæ sunt narratio, dilucidè atque ordine proposita, satis per se sit

stolidam istorum malignitatem atque impudentiam detectura.

Satis constat, anno superiori, id est, quinquagesimo post millesimum & quingentesimum à CHRISTI seruatoris natali, cum Cæsar, & Romanorum Rex huius frater, inducias cum Turca haberent ad annum adhuc tempus, & eò amplius, ex conuentione peruenturas: repente fama celebratum esse, Drogutum Turcæ, ut ipse præ se ferret, classis præfectum, vrbes duas, Africam & Monasterium in ora Africæ contra Siciliam cepisse de quibusdam Afrorum Regulis. Quo autem id titulo vel iure fecisset, neque tum ferebatur, neque nunc magnopere quaerendum censeo. Hic Cæsar, qui ad securitatem & pacem Siciliæ pertinere existimaret non relinquere in iis locis Turcas, suis mandauit, operam darent, uti eæ vrbes in potestatem suam, quamprimum fieri posset, redigerentur. Quod illi ea celeritate & perseuerantia administrarunt, ut non antè oppugnandi finem fecerint, quàm penitus expugnarint: ac nunc quoque firmo illic præsidio relicto in Cæsaris ditione habentur. Sub idem ferme tempus, Rex Rom. veterem quandam arcem in Hungariæ parte Transsiluanicæ finitima positam, nomine Ionolkium, quòd eam intra terminos concessæ sibi per inducias regni partis esse duceret, refi-



cere, & nouis insuper operibus firmare constituit: atque intra breue temporis spatium, promptissima suorum voluntate vsus, eam munitionem perfecit: etsi non sine magna dimicatione cum Bassà (sic Turcæ supremos quosdam principis sui duces vocant) Budæ præfecto suscepta. Is nanque cùm omnia antè expertus esset, quo Ro. Regem à munièdi proposito auerteret, neque quidquam profecisset, nouissimè locum vltro occupauerat, ac iam munire parabat, cum subito Christianorum aduentu territus, hoc consilio destitit. Multo enim & plures, & ad vim, si opus esset, faciendam paratiores, conuenerant, quòd timerent, ne si is locus à Turcis teneretur, pro receptaculo eis foret ad totam, cùm vellent, Hungariam liberius incurrandam atque vastandam. Tantum scilicet oblitus opportunitatem momentum in eo loco esse statuebāt, eoque maiore studio ad eius munitionem Turcarum discessu incubuerunt. Ex res locis duobus sic, vt dictum est, contra voluntatem Turcarum penè eodem tempore factæ, cùm Constantinopolim ad Principem delatæ essent, dubium esse non debet quid effecerint. Itaque non multo post literæ ac nuntii in omnes ferè Europæ partes veniebant, maximos ibi apparatus nauales institui, classèmq; comparari tantam, quantam ex iis quæ post sunt

consecuta malis nimium iam nos quidem sen-  
simus . Nec conquiescebant aures hominum,  
quin alios ex aliis toto in Hungariæ ac Trans-  
siluanix confinio motus exortos , & rerum ini-  
tia nouarum nata acciperent : vt cuius facillim-  
um esset interpretari , Ionolkii munitione  
Turcas irritatos nihil aliud moliri , quàm vt sub-  
latis de medio induciis , quasi claustris quibus-  
dam effractis , res in apertum bellum erumpe-  
ret . Quin illud palàm Venetiis , in Germania , &  
in aliis compluribus locis ferebatur , Turcarum  
Regem non obscure tulisse dolorem , quem de  
urbibus in Africa sibi ereptis cepisset : sed lite-  
ras misisse ad Cæsarem minarum & acerbissi-  
mæ expostulationis plenas : quarum etiam exem-  
pla circumferebantur , sicut testificari possunt  
multorum Principum ac ciuitatum legati , qui  
tunc ob rerum procuraciones diuersarum ad ea  
loca accesserant . Earum porrò literarum hæc fe-  
rè erat sententia : Significabat Turca , quoniam  
ex sermone quem secum habuisset Regis Rom.  
legatus , accepisset hanc esse Cæsaris Regisque  
mentem , vt secum pacem haberent , nec quid-  
quam facerent , fieriue paterentur , contrà quàm  
promississent paciscendis induciis , quas syncerè  
atque integrè , quantum fieri posset , seruare vel-  
lent : se propterea adductū , vt hæc ad illos scribe-  
ret . denuntiare igitur ac testari , Africã & Mona-  
sterium

sterium à Droguto Duce suo nuper receptas, vt  
pote vrbes quæ ad imperium suum antiquo iu-  
re pertinerét. Proinde, cõuenire ipsos, si pacem  
secum quàm bellum mallent, curare vt hæ vr-  
bes sibi restituerentur, & homines ibi capti, at-  
que in seruitutem abducti, libèri dimitterétur:  
quæ nisi ita fierent, dici non posse inducias esse  
conseruatas: Sed & illud petere, vt arx Ionol-  
kium, quæ recens in parte Hungariæ quam suæ  
ditionis esse cõstaret, ædificata ac munita esset,  
disturbaretur, militésq; inde deducerétur: Tum  
autem, vt stipendium sibi ex induciarum pactis  
promissum, in annos singulos dependeretur:  
Quæ item nisi præstarétur, dici non posse quin  
& induciæ ruptæ & fides violata videretur. Hac  
denuntiatione vehemèter commotus Ro. Rex,  
vt qui intelligeret cum quo res sibi futura esset,  
quanto Principe, & quàm formidoloso cùm ob  
potentiam, tum etiam ob propinquitatè hoste,  
cuius vim satis antea maximis suis damnis & de-  
trimentis fuisset expertus, non acquieuit quin  
illi quamprimum satisfacere conaretur, cùm  
proponendo, tum etiam copiosissimè defen-  
dendo iure suo arcis Ionolkii, quod eam intra  
terminos Hungariæ suæ contineri existimabat,  
cum maxima testificatione perpetuæ volunta-  
tis suæ, ne quid vnquã à se aut suis fieret secus,  
ac per induciarum condiciones licitum esset.

Sed & Cæsar, quæ visum est, demonstranda & ipse curauit de eo quod contra Drogutum gestum erat. Ac si vera sunt quæ constanter omnibus omnium & literis & nuntiis confirmabantur, de restituendis Africa & Monasterio, remisit, atque uti restituerentur curaturum promisit: eo (ut nonnulli interpretabantur) consilio, ne, si nihil remitteret, cum præsertim res tanta agi non videretur, alia quædam maiorum rerum consilia sua impediretur accessione tanti hostis: vel potius (ut alii malebant suspicari) ut apparatus tantæ classis, quos tanto studio properari constaret, hæc verborum tantummodo concessione disturbarentur: atque ita tanti belli iam ex propinquo imminēs procella, in aliud longius tempus reiiceretur, quo spatium intercedere posset ad res melius componendas: portusque & aditus omnes in prouincias suæ ditionis diligentiore cura occludendos, ac præfidiis firmandos. De quo tamen neutram in partem asseuerare velim: sed potius liberum cuique facere, ut quod quisque probabilius existimet, eo magis utatur. Verum ut sequentia cum primis contexam: Rex Ro. qui ad summam consilii inopiam redactus esset, inter maximū à Turcis metum, & exiguam spem posse aliquid æquum ab his obtineri, tādē eò se retulit, quod vnum existimabat difficillimis suis rebus ac tempori-

bus perſugium ſe habere: Concilium adiit omnium Germaniæ Principum ac ciuitatum (ſtatus Imperii vulgò nominant) vbi de rebus quæ ad vniuerſos pertinent, in commune conſultant: Ibi propoſuit quæ ad cauſam maximè facere exiſtimabat, quo loco res ſuæ eſſent, quid timeret à Turcis, quæ ipſos, ſi quid ſibi accidiſſet, expectare oporteret: neque enim dubium eſſe, quin cum ſuo periculo totius quoque eſſet Germaniæ periculum coniunctum: Proinde orare atque hortari, vt regni ſui propugnationem communibus ſtudiis ſuſciperent. His addebat miſerrimam cõditionem Tranſſiluanix, quæ in extremum videretur adducta diſcrimen propter nouos motus diſſenſionum ac ſimulatum, qui malo quodam fato eius Regni, tum fortè ſuborti erant inter comitem Petrum Vichium & Pontificem Varadinenſem, qui vulgò Frater Georgius vocaretur, ambos tutores pupilli Regis, Ioannis olim Vayuodæ dicti, filii. Ex his alterum, Comitem Vichium, Turcarum opibus & potentia fretum, cum quibus & conſilia non obſcurè iniret, deſtinatú hoc & fixum animo habere, vt Fratrem Georgium ex Tranſſiluania exturbaret, quò ſolus in adminiſtratione regni eſſet: Georgium contra, nulla in recedere Comiti velle, ſed ſibi præcipuas in regni procuratione partes ſemper ſumere. Quibus

rebus per facile factu esse ostendebat, vt Turcæ  
aditum in Transsiluaniam haberent: quod ne  
accideret, omnibus esse omni studio conniten-  
dum. Hanc enim opportunitatem videri Trans-  
siluanix esse, vt credi posset talem idcirco à na-  
tura factam, quò esset velur moles quædam in-  
uicta atque impenetrabilis aduersus Turcarum  
impetus obiecta, ne in reliquam Hungariæ par-  
tem, ac deinde in Pannoniam quoque & Ger-  
maniam effunderentur. Totam enim ita esse  
vel foris, montibus altissimis atque asperrimis,  
vt circino circumductis, penè cinctam, vel intus  
tum fluminibus irriguam, tum agri bonitate  
vberem, vt nulla vnquam neque obsidionis diu-  
turnitate, neque oppugnationis vi posset in cu-  
iusquam potestatem venire: si modò à quibus  
teneretur, ii coniunctis animis ad patriæ defen-  
sionem conspirarent, non autem partium stu-  
diis diuisi illam hostibus proderent. Cùmque  
multa in hanc sententiam tota actione dixisset,  
ita ad vltimum perorauit, vt à concilio peteret  
subsidium sibi decerni Germaniæ nomine, cùm  
ad sustinendam vim quæ in se pararetur, tum ad  
Vichii conatus reprimēdos. Illum enim videri  
non antè conquieturum, quàm in Transsilua-  
niæ ceruicibus Turcarum iugum imposuisset,  
vt qui iam aliquot locis, dum id perficere cona-  
retur, fusus, fugatúsque, nondum tamen perti-  
naciæ

nacia finem faceret. Quibus omnibus de rebus vberius adhuc & subtilius dicerem, nisi viderem nulli non esse notissimas vel ex ipsis concilii Germanici actis, quæ tum vulgata ad omnium manus peruenire potuerunt : & alioquin compertissimum esset, Ro. Regem, vsu occasione rerum, quas supra demõstrauimus, non ita multò post rationem inuenisse, qua in ius ac possessionem Transsiluanix regni veniret concessu & voluntate pueri Regis, Reginae matris, & Fr. Georgii, qui rei totius componenda architectus fuit. Atque hic mihi commodè succurrit, Turcarum Imperatorem simul atq; subodorari cœpisset illud agi, ac iam inaudisset exercitum Ro. Regis, duce Ioanne Baptista Gastaldo, in Transsiluaniam ingredi parare, certi generis literas in edicti formam misisse ad nobilitatem, plebẽmque eius regni: quas literas non alienum duxi ad verbum huc trãscribere, vt isti, qui tam impudenter audent ad alias, quàm quæ supra sunt demonstratæ, causas trahere expeditionem Turcarũ in Christianos nuper susceptam, cum viderint tam perspicuam in contrarium probationem, desinant aliquando tandem mentiri, refutati iisdem literis quas ipsimet vulgauerũt, quarũque exempla omnes qui per id tempus ad comitatum Cæsaris erant, Legati, ipsorum traditione acceperũt. Literæ igitur Turcarum

imperatoris , inſcriptæ nobilibus populóque  
Trañſiluanix , quos etiam appellat fideles ſibi  
ſubditos, hæc ferè ad verbum habent.

.. Notum vobis ex hoc edicto eſto , literas ve-  
.. ſtras ad aulam noſtram perlatas eſſe, quibus lite-  
.. ris mihi ſignificabatis, cum Fr. Georgius tutor  
.. & gubernator Regis filii ac Regni, in conficien-  
.. do ſtipendio quod ad nos mitteretur, occupatus  
.. eſſet , repente parte ex altera Petrum Vichium  
.. cum armatorum manu regnum adortum, duas  
.. arces iſtic cepiſſe & diruiſſe : ex altera Melchio-  
.. rem Balaffum armatis etiam ipſum ſtipatum  
.. expugnaffe arcem vnus è principibus nobili-  
.. tatis , eiúſque matrem , vxorem , liberos abdu-  
.. xiſſe, bonis omnibus direptis , ac parte quoque  
.. ſtipendii noſtri, quam etiãnum retineret. Quod  
.. vos cum animaduertiſſetis , non potuiſſe pati  
.. tantam audaciam : cum præſertim mandatum  
.. noſtrum præceſſiſſet , vt ſi qui vos perturbare  
.. aggreſſi eſſent , eos vi & armis coërcere ac re-  
.. pellere poſſetis . Itaque appellato Fr. Georgio,  
.. vt per eius authoritatem facere hoc vobis lice-  
.. ret, armatos coiſſe: Reginam quæ tum Albæ ef-  
.. ſet, vbi cognouiſſet vos rectã illuc ire , ceſſiſſe  
.. inde, Zefebaſque ſe recepiſſe: Ita tum diſceſſu il-  
.. lius vacuam Albam in poteſtatem veſtram ve-  
.. niſſe. Regem porro Viennæ, ſimul atque de his  
.. tumultibus nuntios accepiſſet, aliquam fuorum



.. militum partē istuc misisse: quos vt exire quam-  
.. primum cogeretis, vos iam tum cūm hęc scri-  
.. beretis, agere & meditari: quippe quos nulla ra-  
.. tione pati possetis intra fines regni istius con-  
.. sistere. Quibus de rebus has ad nos literas dedis-  
.. se, vt certiores faceretis, quis istic rerum status  
.. esset: iamque Reginam ad partes vestras tradu-  
.. ctam, vobiscum facere ac sentire: authores au-  
.. tem rerum nouarum ac motuum, vi repulsos,  
.. & fugere coactos. Postremò Fr. Georgium in-  
.. tra XV. dierum spatium legationem missurum  
.. cum stipendio, quod nobis pendere soliti esse-  
.. tis. Quæ omnia sic esse à vobis accuratè ad nos  
.. perscripta, vt hinc fidelitatem in nos vestram,  
.. & obediendi promptam voluntatem perspice-  
.. remus. Nunc igitur, hęc vos scire volumus:  
.. Regnum Transsiluanix inter cætera iuris iam  
.. nostri ac ditionis esse factum: Regisque Ioan-  
.. nis filium, clientem nostrum, fidelem & subdi-  
.. tum esse; Regnum autem ipsum, & omnes vi-  
.. tam ibi degentes, in fidem nostram recepta, o-  
.. mni ope atque auxilio nostro tueri & confer-  
.. uare decreuisse. Atque in hanc rem scripsimus  
.. ad Fr. Georgium, eique mandatum dedimus, vt  
.. comparato quâprimū exercitu, regnū istud à  
.. Germanis assereret: & quotcūque cepisset eorū  
.. qui nobis aduersari conarētur, hūc ad nos mit-  
.. teret. Sed si fortè idem Georgius, atq; alii quidā

„ inter se diffideāt, cuius simultatis occasiōe na-  
„ ſti Germani, molituri aliquid eſſe videantur,  
„ Vos Barones, oppidorum arciumque in iſto re-  
„ gno domini, operam date, vt concordibus inter  
„ vos animis ſitis, ad retinendum aduerſus hoſtes  
„ regnum: neue eos iſtuc introire patiamini: ac ſi  
„ fortè iam introiſſent, omni ratione exturbetis.  
„ Supèrque omnia curate, vt cognoscere certò  
„ poſſimus, vbi nùc ſint iidem hoſtes, quid parèt,  
„ aut moliantur: quam vos facultatem illos vel  
„ arceſſendi vel depellendi habeatis: qui fuerint re-  
„ rum authores nouarum. Nam qui hìc ad aulam  
„ noſtrā adeſt allegatùs ab eodem Georgio, cùm  
„ de illo ſciſcitaremur ecquid de his rebus ex-  
„ ploratum haberet, reſpondit ſcire ſe Germanos  
„ neque adhuc vllos ingreſſos, neq; poſthac vètu-  
„ ros eſſe: licet is qui ad Budam eſt, Baſſà, Petrus  
„ itè Vichius, aliq; Sangiacchi noſtri nobis con-  
„ firmarint iam eſſe ingreſſos. Ac propterea iam  
„ emiſimus Mehemetum Baſſam Græciæ Beiller  
„ beium, cum omnibus militum ductoribus, ad  
„ contrahendas vndique omnibus ex partibus co-  
„ pias: Ediximusq; vt Budæ præpoſitus Baſſà, vnà  
„ cum omnibus Sangiacchis qui ſunt circum fi-  
„ nes regni iſtius, rebus omnibus comparatis, ni-  
„ hil aliud quàm ſignum expectarent. Quibus ſe  
„ coniuncturi ſunt Sangiacchi Moldauix, atq; ex  
„ Tranſalpinis ii qui ſunt Moldauix propinqui,  
„ necnon

• necnon & Nicopolitanus Săgiacchus vnà cum  
• eo qui olim Moldauiz Vayuoda , nunc verò ad  
• nostram veram fidē traductus Sangiacchus est  
• Deretzeillæ factus . Quibus addidimus milites  
• omnes ex omnibus Deretzeillæ finibus, homi-  
• nes semper ad incurfandum & prædandum pa-  
• ratos : sed & Tartaros è Drobrochia, atque adco  
• Cham ipsum magnum, Tartarorum Regem, cū  
• omnibus suis copiis , vti per Moldauiam, aliàs-  
• que partes, quâ cuique commodissimum esset,  
• in Transiluaniam penetrarent. Enimuero & Ia-  
• nisseros & Spacchos è nostro comitatu iam iam  
• proficisci, & iter præripere iussimus cum maxi-  
• mo numero bombardarum & machinarū. Qui-  
• bus omnibus ita comparatis, subsequi statim iu-  
• bebimus & magnum nostrum Bassam Rosta-  
• num. Ac tantummodo nunc expectabamus cer-  
• tos istinc nuntios, vt intelligeremus, quis nunc  
• rerum status esset : id est, an Germani damnum  
• aliquod regno intulissent , stipendiūque cum  
• nostro, quē istic hac vna de causa habemus, Via-  
• tore, nondum etiam esset missum. Quæ si ita ac-  
• cidisse cognouerimus , dubium nobis non est,  
• quin primo quoque tempore hæc omnes, quas  
• enumerauimus, copias in regnum inuadere iu-  
• beamus: cū vt hostes ipsos repellamus, tum e-  
• tiam vt de rerum nouarum authoribus suppli-  
• cium sumamus . Vos ergo nobiles ac populares

.. regni Tráſſiluania, hoc primùm ſcītote eſſe of-  
.. ficii veſtri, vt vos ad partes aggregetis Sangiac-  
.. chi, Tranſſiluania Stephani Regis filii: & adiu-  
.. tore Deo, fortiter, vt viros decet, Germanis reſi-  
.. ſtatis, ac grauiffimè in illos cōſulatis, quos vobis  
.. cōſtiterit cum dictis Germanis conſilia cōmu-  
.. nicaffe: denique, vt omni ſtudio veſtro atque o-  
.. pera ad regni ſalutem & conſeruationem incum-  
.. batis. Deinde, illud etiam ſcītote, quoad coronæ  
.. noſtræ hanc fidelitatem præſtabitis, vt & Germa-  
.. nis reſiſtatis, & nobis dedatis, ſi qui inuenti fue-  
.. rint perturbatores ac nouatores rerum, vos, vxo-  
.. res, liberōſque veſtros ſaluos in pace ac trāquil-  
.. litate victuros, auxilio ac fauore magnitudinis  
.. noſtræ tectos. Sin autem infideles eſſe cōperitis,  
.. vt neque ad regni deſenſionem excubetis, ne-  
.. que rerum nouarum cupidos in manus noſtras  
.. dedatis: ſi quid vobis ſecus idcirco euenerit, vt  
.. omnino eueniet, merito id veſtro & culpa futu-  
.. rum. Atque hæc certò ita creditote, & ſigno no-  
.. ſtro hîc appoſito fidem habetote. Datum Con-  
.. ſtantinopoli, Nouilunio Iulii menſis.

Eiuſdem generis, in eandemque ſententiam  
ſcriptæ literæ, ad Fr. Georgiū miſſæ ſunt, in qui-  
bus illud etiam amplius additum erat:

.. Ac cùm ſis fidelis noſter ſubditus, officii tui  
.. eſt, eſſe te in partibus Stephani, Regis filii: & da-  
.. re operam, vt quos eiſdem Germanis fauiſſe cō-

pereris, eos ne patiaris vsquam intra regni fines  
consistere : vt hac ratione dicti nostri omnium  
ordinum subditi, in otio ac tranquillitate vitam  
degant . Sed & illud præterea te scire volumus,  
quia ad nos allatum esset, fidem nobis Hispanos  
violasse, expugnatis quibusdam nostris in Bar-  
baria oppidis , vbi & graua nostris damna data  
sint : idcirco nos classem nostram ad illas partes  
mittere constituisse, vt omni ratione eam iniu-  
riam vindicemus. Quò autè ad Regem Vien-  
næ pertinet, is stipendium quod ex fœdere nobis  
debet, ad diem præstitutam non dependit: atque  
in ea re fidei suæ defuit . Quæ res in opinionem  
nos adducit, misisse eum ad dictû regnum occu-  
pandum milites suos . Itaque copias & ipsi no-  
stras iam cõtractas & comparatas habemus, quò  
illi occurramus : Iamque mādata in omnes par-  
tes dimisimus, ad Beillerbeium Græciæ, ad Bas-  
sam Budæ, ad Sangiacchû Moldauiæ, ad Molda-  
uos, Tartaros, Transalpinos, cæterosque, vt cir-  
cum omnes regni fines in speculis essent, atten-  
tè vos obseruantes, ac custodientes, quid facere  
aggredere mini, nè à vobis oculos vllâ in par-  
tem deflecterent. Neque aliud iam expectât, nisi  
certum à nobis mandatû, quid ipsos facere veli-  
mus. Ac non possumus satis mirari, cur cùm ex  
tam longo tempore hi motus cœpti sint , nihil  
neque nobis significandum duxeris, neque San-

„ giacchis nostris, neque item Bassæ Budano: cum  
„ tamen latere te non possit, pertinere ad munus  
„ & officium tuum, uti nos quam exactissime & quam  
„ amplissime omnibus de rebus certiores facias.  
„ Quapropter nullam iam moram debes interpo-  
„ nere, quominus statim ad nos remittas Viato-  
„ rem nostrum Haly, cum stipendio nostro ordi-  
„ nario: nosque unam quam diligentissime per lite-  
„ ras certiores facias, quis sit istic nunc rerum sta-  
„ tus: de aduentu item Germanorum: & speretis-  
„ ne posse eos expellere: & quæ sint causæ talium  
„ istic motuum: & ut semel dicam, de omnibus  
„ quæ istic geruntur: ne tantæ à nobis iam compa-  
„ ratæ & prouisæ copiæ, otiosæ ad regni fines fe-  
„ deant, nihil gerentes dignum hoc apparatu. Iam-  
„ pridem istic habemus Viatorem nostrum: nec fa-  
„ tis intelligere possum, cur tandiu illum non di-  
„ mittas, cum præsertim hostes iam intra regnum  
„ penetrarint. Quare etiam atque etiam vide, ne il-  
„ lum ulterius moreris, sed quamprimum dimittas.  
„ Quin illud etiã scito, nobis esse certum, non pati,  
„ ut Germani damni detrimentive quidquam re-  
„ gno dent: quod quidem tu pro tuo officio in pa-  
„ ce atque otio tueri debes. Postremo, hoc te ad-  
„ monitum volumus, ut posthac, cum missu no-  
„ stro Viator de re quapiam istuc venerit, eum sta-  
„ tim dimittas, quò is ad nos quam diligentissime  
„ recurrat. Has literas signo nostro obsignaui-  
„ mus, quò

mus, quò illis fides haberetur. Datum Constan-  
tinopoli, Luna mensis Iulii.

Vellem equidem perlibenter, vt isti qui esse  
aliàs solent tam ad falsa vel excogitanda acres,  
vel effutienda prompti, tam etiam ad vera aut  
inficianda impudentes, aut cauillanda acuti &  
celereres, híc omne acumen suum experirentur,  
híc omnes ingenii neruos intenderent, híc om-  
nem impudentiam suam explicarent: nega-  
rèntne aliquid eorum quæ exposuimus, ita esse  
gestum: At actis conciliorum Germaniæ tenen-  
tur: literis hærent Principis Turcarum, quas ipsi  
protulerunt, quarúmque exempla legatis mul-  
torum Principum dederunt: omnium scientia  
ac memoria implicantur. Literas interpretatio-  
ne aliqua subdola & commentitia eluderent: at  
sunt & amplissimæ, & clarissimis verbis quod vo-  
lunt explicantes. Postremò, alias afferrent cau-  
sas tantæ offensionis Turcarum, quantam ipsi  
nuper ostenderunt: At nullas possunt probabi-  
liores veris, id est, iis quas illi ipsi, de quorum  
facto queritur, semper præ se tulerunt: vrbium  
Africæ expugnationem dico, Ionolkii muni-  
tionem, Transsiluanæ occupationem, stipendii  
quod ex fœdere deberetur, pensionem omissam.  
Ad quas causas non dubium est quin totum hoc  
bellum quod nuper exarsit, referri oporteat, cum  
eas constet summæ cuiusdam indignitatis spe-

ciem corū animis obtulisse . Cuius rei non pauca aliqua & obscura signa , sed & multa & illustria documenta ipsi dederunt . Atque , vt cætera taceantur , & aliquādo ab his Hungaricis & Trāsiluanicis rebus deflectat oratio : Quis nescit , quomodo post illas acceptus sit à Turcarum imperatore , atque ab ipsis eius consiliorum principibus Bassis miser Regis Rom. legatus ? Is namque aduocatus in locum populi frequentia semper celebrem , tunc verò multò ( vt credi par est ) celeberrimum ( Dinan iis dicitur publicæ audiētiæ locus ) ibi cum recitatæ coram ipso literæ fuissent , quæ certa nuntiabāt de rebus in Trāsiluania actis , primūm atrocissimas quasque omnis generis iniurias ac contumelias auribus atque animo accipere coactus est , quas illi iracundia inflāmati , cum in ipsum , tum verò multò magis in Regem Ro. clarissima voce , vt omnes exaudirent , iaciebant : deinde , illinc è vestigio , inspectātibus omnibus , in teterrimum carcerem abreptus est : post autem , & bona eius publicè distracta , & familia omnis miserabilem in seruitutem ad ministeria actuariarum nauium abducta . Cum igitur hæc tum illi tam acerbè staterent in eum , cui nihil imputari poterat , nisi quòd , Regi ac domino suo fidelis , ea demum fecisset , quæ ipsi mandata essent : & vt aliqua in eo culpa esset , iure tamen gentium remitti ad



cum debebat, cuius mandata neglexisset. Cum igitur tam acerbe in legatum consulerent, dubium esse cuiquam potest, qua indignitatis opinione, qua ira, qua vlciscendi cupiditate incitarentur in Regem Romanorú? An non hoc vno facto bellum illi internecinum atque inexpiabile iam tum indicebant? Eriámne híc in tam clara luce isti ad mentiendum tam audaces & proiecti tenebras offundere veritati conabúntur? atque asseuerare pergent, Christianissimum Regem Turcas in Húgariam armasse? Verum agè, concedamus hoc illis paulisper quod videntur velle: ne sint nobis hæ, sicut sunt profectò, tam multæ, tam certæ, tam omnibus claræ & perspicuæ probationes: patiamur illos hinc sensim elabi, & ad suspiciones suas, quibus in rebus tantis vtendum putant, aberrare. Esto, propositum sit coniectura quærere, videaturne Rex Turcas ad bellum Rom. Regi inferendum sollicitasse. Quem tandem huic mendacio colorem obtendent? Si enim sollicitauit, certè prius est voluerit: si voluit, causam etiam cur voluerit, necesse est fuisse. Causa autem quænam potest, duntaxat probabilis, intelligi, nisi aut magni alicuius commodi consequendi spes, aut lædendi quem vehementer odisset, facultas? Atqui neutrum híc dici potest. Nam primùm, quæ utilitas Regi proponatur, quòd Turcæ imperii sui fines quo-

tidie latius proferant: quòd decus illud ac splendor Christianorum nominis magis in dies obsolescat: quòd Germani veteres amici, ac perpetuo fœdere cum Francorum Regibus coniuncti, in eam adducantur necessitatem, vt aut semel in Principis, à Christianorú pietate alieni, potestatem veniant, aut perpetua ipsis dimicatio subeunda sit cum hoste potentissimo: Num posset maius sperare à Germanis auxilium, cum illis bellum esset perpetuum sustinendum pro libertate, pro liberis, pro religione, quam cum ab hoc metu vacui ac liberi essent: deinde quòd ad illud secundo loco positum attinet, potestne fingi aliquid cur Christianissimus Rex vel odisset, vel lædere vellet Ro. Regem? Magnitudine, credo, eius offenditur, vt eam imminui cupiat. An est aliqua pars Regni illius cum huius regno coniuncta, vt existant (sicut inter vicinos assolet) de finibus controuersia, aut quam suæ ditioni adiicere cupiat: denique, potestne quidquam huius interesse, vt illius populi sub alieno domino miserabili seruitutis cõditione opprimantur potius, quam moderato ac ciuili legitimi sui Principis imperio pareant: Vt igitur hunc locum aliquando concludam: cum imperator ipse Turcarum partim suis literis ac comminationibus, haud illis quidem sic (vt fit interdum) verbo tenuis iactatis, sed re ac facto confirmatis:

firmatis, partim aliis etiam indiciis huiusmodi, quibus, quanuis abditæ hominum mentes in apertum proferri possent, clarissimè testatus sit: quibus causis adductus, arma rursus in Ro. Regem ceperit: cùmq; veri simile non sit, potuisse id aliquam Christianissimo Regi aut vtilitatem, aut etiam voluptatem afferre, vt in eum potissimum è Christianis Principibus hæc tempestas ingrueret, cum quo ipse nullam vnquam habuisset, ac ne habere quidem posse videretur vllius rei, ob quam simultates oriantur, communitatem: Imò cùm è contrario cõstet, illum semper expetisse, cùm vniuersè, cõseruationem atque amplificationem Christianorum ditio- nis, tum verò propriè ac præcipuè, securitatem & pacem Germanorum amicorum veterum & fœderatorum: satis videor, quod ad hanc rem attinet, occlusisse os istis mentiendi artificibus, vel potius (vix enim sperare licet illos aliquando mentiendi finem esse facturos) obstruxisse aures quibusdam nimium credulis, ne posthac tam faciles se præbeant ad mendacia admittenda, quàm illi sunt ad ea proferenda prompti & impudentes. Superest nunc, vt ad illud etiam respondeatur, quod secundo loco obiecerunt: constitutum Regi cum Turcis fuisse, vt in portus suos ac stationes reciperet classem Turcicam ad incurfandam & infestandam oram totius

in hoc interno mari Cæsaris ditionis: postea tamen, quàm illa aut Tripolim aut Melitam cepisset, aut aliquod aliud graue atque insigne damnum Christianis dedisset. Cui certè crimini satisfactum abunde videretur, vel si id tantum diceremus, non esse vltèrius quærendum: nec quæ causa comparandæ huius classis, nec qui finis ad occidètem mittendæ fuisset: cum vtrunque sic appareret, vt nullus iam dubitationi locus esset: tum ex denuntiatione post expugnationem Africæ & Monasterii facta, quam supra demòstrauimus: tum ex ipso etiam reditu classis in eadè vnde venerat partes. Attamen cum animaduertam Cæsarianos in eo diutius immorari, vt in re quæ ipsos propius contingat: atque illic insolentius se iactare, tanquam aliquid nacti videantur, quod se in causa superiores constituat: primùm quam breuissimè potero, ita ordine exponam initia, progressus, exitum classis istius: vt ex his, etsi nihil præterea diceretur, facillimum sit de tota causa statuere. Deinde ad obiecta eorum quædam, quibus se ipsi premere atque vrgere causam putant, respondebo.

Turcarum imperator, qui (sicut antea demonstratum est) in literis ad Cæsarem scriptis inter cætera id quoque disertè testatus esset, dicere non posse Cæsarem inducias se obseruare, nisi curaret, vt Africa & Monasterium redde-

rentur: scirétque sibi eius mandato de restitu-  
tione promissum ( ita enim & omnes , vt supra  
dictum est, tunc cõfirmabant, & verisimile cer-  
tè est) constituit maris imperium viribus ac co-  
piis suis amplecti: atque ita classẽ emisit eam,  
quæ ad nostra hæc maria orientem versus visa  
est. Ea classis, circiter Calédas Iulias huiusce an-  
ni, se primùm Apuliæ litoribus ostendit: Ibi ad  
hunc modum se gessit. Cùm in oculis Italiæ, o-  
ram legeret Præfectus eiusdẽ classis, edicto pro-  
posito vetuit, ne quis è tanta, ac tam numerosa  
classe in terram egrederetur, damnive quid aut  
detrimenti vlli Christiano reive eius daret, tan-  
tis per dum certò scire posset, an Africa & Mona-  
sterium voluntate eorum qui teneret, restitue-  
rentur. Quæ res eò admirabilior omnibus visa  
est, quòd minimè expectassent tantam modera-  
tionem ab hominibus iniuria laceffitis, sicut illi  
se ferebant: Ac nihilo secius ita perpetuò se ha-  
buerunt vsque in ante diem tertium Iduum: cùm  
intra fretum Siculum ingressi, ibi non procul Rhe-  
gio, quæ est vrbs in ora Italiæ posita ex opposito  
Messanæ, ad terram appulsi sunt. Quo in loco,  
inuenta ratione colloquii cum arcis Præfecto,  
Præfectus classis se venisse dixit in has occiden-  
tis partes ad recipiendas vrbes, Africam & Mo-  
nasterium, quas Cæsar per legatum Romanorũ  
Regis, qui Constantinopoli sit, magno Turca-

rum Imperatori redditurum promiserit : sed & eò amplius, curaturum, vti earum vrbium clau-  
es Naupaetum vsq; ad ipsas Corinthiaci sinus  
fauces, aut certè circa Zacynthum & Cephale-  
niam perferrentur, ibique traderentur: Sese, etsi  
iam ea omnia loca obierit, neque quèquam re-  
pererit qui se ad id munus fungendum offerret:  
non grauatam tamen progredi vsque in eum  
locum, vbi tunc cõstitissent, vt cognosceret ec-  
quid in animo haberet promissum facere de re-  
stituendis vrbibus. Quod si ita esset, permansu-  
rum se quoq; in eodem instituto, quod adhuc  
tenuisset: vt nulli Christiano damnũ iniuriã-  
ve dari fieriue pateretur. Sin aliter comperisset,  
mandatum habere Principis sui, vti omnia quæ  
sint Cæsaris ditiois, sociorũmve eius ac fœdera-  
torum, ferro & flamma absumant, hostiliaque  
omnia faciant in eos qui fidẽ induciis paciscen-  
dis datam violauerint. Hac tum ille summa ora-  
tionis vsus est: petiitq; , vt intra posteri diei spa-  
tium, sibi respõsum daretur: Id quod arcis Præ-  
fectus ita curaturum promisit. Itaque certũ ho-  
minem è suis ad Proregem Siciliae, qui tum erat  
Messanæ, misit: videret quid ad illa responderi  
oporteret: atque interea Turcæ, permissu Rhegi-  
norum, aquatione ex vrbe vsi sunt, nulla vtrin-  
que nec facta nec accepta iniuria. Postridie venit  
à Prorege qui multa dixit ac demõstrauit, quorũ  
summa

summa huc spectabat: non fuisse hæc loca, quæ  
repetatur, erepta Turcis, sed de Droguto capta,  
quem constaret piraticam facere: eoque ut com-  
munem hostem, induciarum pactis exclusum.  
Ad quæ Turcæ, quæ visum est, responderunt: Ac  
post multa vtrò citròque dicta, classis Turcicæ  
Præfectus, cum satis intelligeret, nullá ipsis vo-  
luntatem restituendi esse, sed moras interponi,  
ac tempus quæri, per causam expectandi à Cæ-  
sare responsi, constituit illinc soluere: atque ex  
eo tempore, sicut denuntiarat, bellum apertè Cæ-  
sari intulit. Ut rem in pauca cõferam, Turcæ in  
portum Augustæ vrbis Siciliæ irruperunt: vetu-  
stam arcem vi expugnarunt: Hispanos milites,  
qui ibi præsidio erant, repugnantes conciderunt:  
forum ac suburbana omnia incenderunt: Inde  
digressi, Melitam petierunt: Gozam vi captam  
diripuerunt: Postremò, in Africam cursu dela-  
ti, Tripolim oppugnari cœptâ, ac iam tormen-  
tis pulsata, per compositionem ceperunt: firmo-  
q; illic præsidio relicto, nõ ita multò post in  
orientem conuersi, ad sinus Ambracium & Co-  
rinthiacum se retulerunt. Quæ omnia, ita, ut dictum  
est, accidisse, ne ipsi quidè Cæsariani negare pos-  
sunt. Nã præter ea quæ tum omnibus ex parti-  
bus literis ac fama ipsa nuntiabantur, possum  
etiam ostendere exèpla literarum Proregis Siciliæ  
& magni magistri equitum sancti Ioannis, quæ

hunc rerum progressum hoc eodem ordine exponunt. Cùm igitur hæc ita tum euenerint, simul & causæ euentuum non minus euentis ipsis insignes ac perspicuæ habentur: vt nulli iam amplius dubitationi locus relinquatur. Nam comparandæ quidem, atquæ ad occidentem mittendæ classis causam Turcarum imperatori solam fuisse urbium Africæ & Monasterii occupationem, satis ex iis, quæ antè dicta sunt, apparet. Cur autem tanta classis, hominum præsertim iniuria laceffitorû, se ita, vt expositum est, primo suo aduentu, ac multis deinceps diebus à vi & iniuria abstinerit, ne fingi quidem alia potest, quàm quòd promissio de restituendo intercesserat: vt quoad spes fuerit promissa factum iri, faciliè ea moderatione vsi sint: vbi eadem defierit, tum ad arma & ad bellum quod denuntiarant, inferèdum proruperint. Postremò, quòd cùm adhuc temporis satis haberent ad res alias gerendas, neque vllus ab hostibus metus esse posset, incidere tamen in hyemem noluerunt: sed rursus in orientem, vnde venerant, vela còuerterunt: satis argumenti est non habuisse eos ad occidentem portus aut stationes, quò se in hiberna recipere. Reliquum nunc est, vt cùm hæc ante omnium oculos posuerimus, penè, vt videri ac tractari possint, causam mittendæ classis, initium belli inferendi,



ordinem ac progressum rerum actarum : orationem iam conuertamus ad crimen Tripolitanum, æstimemusque qualia sint ea, quibus se Cæsariani posse sperant inuidiam amissæ Tripolis in Regem conicere. Quam urbem videri volunt, atque ita scilicet persuadere orbi terrarum conantur, amissam perfidia Præfecti arcis, qui secreta cum Regiis consilia inierit. Cuius rei perficiendæ interpretem ac conciliatorem dicunt fuisse Aramonem: cum enim, cum ex composito hac ipsa de causa Melitam venisset, simulasse iter se Constantinopolim habere ad Turcam missu Regis : Magnum magistrum ordinis Equitum sancti Ioannis adisse: spem illi obiecisse, posse interuētu suo ab obsidione Tripolis auerti Turcas : vtrò se ad eam rem peragendam obtulisse : denique cum ille facillè ei credidisset ( vt in tanto ac tam subito tumultu fieri soleat, cum vix homines ad se colligendos spatium habeant) mandata ac literas ab eo ad arcis Præfectum accepisse. Cum autem Tripolim venisset, alia omnia, quàm quæ se facturum receperat, fecisse. Arcis enim Præfectū cò perduxisse, vt certæ mercedis pactione dederet, vel condonaret potius Turcis arcem nulla vi superabilem: vt quæ munitissima, & omnibus rebus instructissima esset, non solum ad præsentem vim repellendam, sed etiam ad longioris tem-

poris obsidionem sustinendam : Atque hîc ( si diis placet ) Cæsariani triumphant, ac tabernas, fora, vrbes, denique orbem totum complêt rumoribus de hac Tripolitana deditio: quam ita esse factam credi sibi volunt his maximè argumentis, quòd Aramo ipse se vltro ad eam rem obtulit : quòd arcis Præfectus Gallus, quòd arx cum esset omnibus rebus ad vim obsidionemque sustinendam necessariis munita, teneri facillimè potuit aduersus Turcas. Quæ si aliter se habere doceo, & id quidem literis ipsius magni Magistri, hominis Hispani : nihil erit causæ, quin maximo rubore perfusi ( si tamen erubescere possunt, qui sic impudenter mentiuntur ) è medio discedant, reuicti ipsis illis quæ præbuerunt, armis. Nam certè literas magni Magistri, scriptas sermone Hispanorum ad Proregem Sicilia, tradidit Legato Regis qui tum apud Cæsarem erat, quidam eiusdem ordinis, homo & ipse Hispanus, qui res ordinis sui apud Cæsarem procurabat. Atque hic ipse, cum postea quidam contra officium, quo antè functus erat, faceret, eisdem illis literis prolatis, magno suo pudore obmutuit. Earum literarum hæc erat  
.. totidem penè verbis sententia. Per Equitem  
.. Alphonsum Lolenzanum, quem ipso Calendarum Augusti die dimisi in nauicula speculatoria, certio rem te feci, pridie eius diei reuertisse  
à Tripoli

.. à Tripoli eundem illum Myoparonem, quem  
.. eo miseram, simulac rescissem Turcicam clas-  
.. sem ad Augustam esse: literasque mihi à Præfe-  
.. cto attulisse, quæ nuntiarent, eandem classem  
.. ad littora Africæ appulsam, non longius LX.  
.. millibus passuum illinc abesse ad Occidentem  
.. versus. Hodie verò, qui erat sextus Iduum, ad ho-  
.. ram noctis primam, huc aduenit altera specu-  
.. latoria, cum literis eiusdem Præfecti, nuntian-  
.. tis, se iam tum cum illa scriberet, obsessos esse  
.. à tota classe, quæ ante portum constitisset intra  
.. spatium trium milliarium. Qui autem in dicta  
.. speculatoria venerunt, quæ quidem illinc ipso  
.. Nonarum die soluit, cum de eis id quoque sci-  
.. scitaremur, negabant, quo tempore soluerunt,  
.. ullam adhuc bombardam displosam fuisse. Nec  
.. tamen deerant, qui se ad quinque milliaria pro-  
.. uectos fragorem exaudisse dicerent. Sed & illud  
.. idem Præfectus nuntiat, accepisse se à classis Præ-  
.. fecto epistolam, quam ad nos mittat, atque vnà  
.. suam quoque, quam ad illam rescripserit, ma-  
.. iorem in modum à nobis petens atque conten-  
.. dens, ut se virorum, frumenti, & reliqui instru-  
.. menti bellici subsidio iuueamus, etsi iam pro no-  
.. stra earum rerum facultate instructus. Ac no-  
.. uit Deus, quàm harum rerum facultatem ha-  
.. beamus: & tamen adhuc etiam mittemus quan-  
.. tum plurimum poterimus. Sed verum certè

„ subsidium id esset , quod istinc à vobis venire il-  
„ lis posset , si quis scilicet prohiberet , ne Turcæ  
„ bombardas in terram exponerent. Verùm id o-  
„ porteret quanta maxima fieri posset diligentia  
„ administrari. Eodem Calendarum die, venerunt  
„ in húc portum Gallicæ duæ triremes cum quo-  
„ dam Gallorum Regis legato , nomine Aramo-  
„ ne : Is nobis retulit se ire Constantinopolim.  
„ Atque idcirco hominem rogauimus, vt, quan-  
„ quam existimaremus Tripolim satis, & viris, &  
„ comteatu , & reliquo apparatu instructam, ne  
„ grauaretur ramen ire ad classem Turcicam : co-  
„ naretúrque obtinére à classis Præfecto , vt eius  
„ arcis oppugnationem mitteret . Quod ille pri-  
„ mò non concedebat : sed tandem hætenus ve-  
„ niam petentibus dedit, vt reciperet, se quicquid  
„ posset nostra causa effecturú. Petiitque vt spe-  
„ culatoriam secum mitteremus , per quam pos-  
„ set, quod fecisset, renútiare . Ac dierum quidem  
„ coniectura, & tempestatis, quæ tum fuit satis ad  
„ nauigandum idonea , nobis videbatur eò antè  
„ aduenisse , quàm obsideri nostri cœpissent : ad-  
„ huc tamen neque speculatoria reuenterat, neque  
„ de ipso legato quicquam audiebamus . Et in ex-  
„ tremâ epistola, hæc verba ascripta erant : Facere  
„ non possum, quin tibi etiam atque etiam in me-  
„ moriam redigam, quanti intersit Cæsarís & om-  
„ nium insularum, ac continentis totius huiusce

- » tractus, operam dari, vt hæc arx & munitio con-
- » seruetur : quantumque & Deo pietatis, & ipsius
- » maiestati officii præstitum fuerit, si erit curatú,
- » vt quàm celerrimè subsidio iuuetur . Datú Me-
- » litæ ad VI. Idus Augusti.

Ex his literis intelligi hoc potest, in summas tum angustias adductam Tripolim fuisse, si qui illic in præsidio erant, antè etiam quàm obsiderentur, tanto studio contendebant, vt sibi subueniretur virorum, frumenti, & reliqui instrumenti bellici subsidio. Tum illud etiam colligi, magnum ordinis Magistrum arci subdiffidere, cum disertis verbis confiteatur, verum id subsidium fore, si quis prohiberet ne Turcæ bombardas in terram exponerent : atque hoc fieret quanta maxima posset diligentia : prorsus vt sit consequens, sine tali subsidio, ægrè illam potuisset defendi aduersus tantam classem. Atque illa etiam literarum clausula, vbi magnus Magister in memoriam reducit, quatum detrimenti publicè acceptum esset, si talis arx & munitio amissa foret: satis significat exiguam eos spem illius retinendæ habuisse, immò verò statuisse, nisi breui succurreretur, teneri non posse. De qua tamen re non nimium contédo: Sed me ad sententiam eorum facile refero, qui eam arcem viderunt : qui quidem testari possunt, primùm valeátne vrbs Tripolis ipsa per se defendi : dein-

de, si ea capta sit, possitne arx teneri, cui quasi de superiore loco vrbs immineat. tum autem, existimatúmne sit vulgò inter equites eius ordinis, potuisse Tripolim sustinere vim atque impetum tantæ classis, quæ ad XV I. hominum milia, & LX. bombardas maioris illius generis ad quatiendos muros, exponere in terram posset.

Verùm ad illud iam venio officium Aramoni, quo is functus est, cùm sustinere nõ potuisset contentissimũ studium & preces magni Magistri: non autem, sicut isti calumniari audent, cùm se vltro obtulisset, atque eas sibi partes depoposcisset. Cùm enim constituisset recto cursu, sicut ipsi mandatum fuerat, Constantinopolim nauigare, tamen vt satisfaceret eorum voluntati à quibus exoratus erat, itinere deflexit, vt Tripolim adiret. In quo sanè vereri meritò potuisset, nonnullam à Rege reprehensionẽ, qui ad alia animum officia conuertisset, quàm quæ sibi mandata ab illo erant, nisi perspectam habuisset eiusdem Regis egregiam voluntatem in Equites huius ordinis atque instituti: meminissetque quo fauore illos complecti soleat, quantisque iam commodis, ex quo ad regnum peruenit, affecerit: etsi profectò, si hoc spectandum esset, omnis quæ ab eis iam post Rhodũ amissam expectari vtilitas potest, ea ad vnus Cæsaris fructum propriè pertineat, propugnatione insularum

rum, ac continentis vtriusque quas ad orientem  
versus habet. Quæ tamē ratio impedire cursum  
nunquam potuit tam propēse Regis volūtatis,  
quin is pro singulari sua in Deum pietate, maio-  
rem semper existimauerit rationem sibi habēn-  
dam conseruandi tam sanctū institutum ac ge-  
nus vitæ, quàm imminuendi eos fructus, quos  
solus Cæsar caperet. Quæ cū ita se habeāt, non  
modò non verum, sed ne veri quidem simile es-  
se potest, Regem, qui tot documentis declara-  
uerit perpetuam voluntatem & conseruandi &  
amplificādi huius ordinis, adduci potuisse, vt se  
interponeret ad eripiendam Tripolim iis, quos  
omnibus rebus semper voluisset esse ornatissi-  
mos: cū præsertim ea res ad ipsum aliter per-  
tinere non posset, quàm vt acrem animo eius  
dolorem inureret. Quare habenda Regi gratia  
est de eo, quod Aramo Equites Tripolitanos  
conseruauit: quos cōstat, nisi ille tunc aduenis-  
set, indignissimæ seruitutis iugū subituros fuis-  
se in manibus eorū, quos ipso vitæ instituto ca-  
pitales habere hostes profiterentur: non inuidia  
constanda ab officium ministri, quod & iniussu  
eius factum est: & tamen, quia tam bene euenit,  
non potest non habere gratissimum. Iam verò  
quod argumentantur de Vallierio arcis Præfe-  
cto, homine, vt aiunt, Gallo: equidem nō video  
cur vnum hoc nomen adducere illū in suspi-

cionem valeat, cum sint multa quæ omni prorsus suspicione liberent. Primum enim, erât cum eo in præsidio multò plures ab Hispania, & in his tres aut quatuor ex principibus, sine quorû consilio atque authoritate statuere de nulla re poterat: Deinde, voto suscepto, se in seruitutem ordini suo addixerat. In quo nunquam quæsitum est, cuius nationis equites quibus negotiis præficerentur: cum sit hæc illorum professio, vt perpetuum cum religionis nostræ hostibus bellum habeant: Tum autem, innocentia suæ conscientia nixus, vltro se Melitam ad causam è vinculis dicendam contulit: vt illic iudicio statueretur, vtrum præstitisset, dedine arcem quæ defendi non posset, seruandi hominum causa qui ibi præsidio erant: an & arcem ipsam amitti, & tot viros fortes, qui ad alia Reip. tempora reseruari possent, contrucidari. Atque hîc, quod facillimè possem, non insistam argumentari: tantum petam ab hominibus iudicâdi non imperitis, nec cuiusquam studio iam antè occupatis, vt statuatur, verine simile videatur, Vallierium hominem præsertim id ætatis, & vsum rerum non mediocrem habentem, si sibi maleficii conscius esset, commissurum vnquam fuisse, vt vltro sese offerret: quæstionem haberi postularer, causam ex vinculis dicere paratus esset: vt postea quàm iudicibus cõstitisset, quantum sceleris



leris ac dedecoris in se admisisset, morte inhonestissima per tormenta ac cruciatus afficeretur. Verum, vtvt est, nihil ea res Regem attingit, qui neque quid Tripoli futurum esset, diuinare poterat: neque aliud certè existimare, quàm esse illi loco satis ab ordinis magistro prouisum, pro eo quanti eam rem faceret.

Sequitur nunc alia calumnia, ita sanè leuis, vt ne mentione quidem digna videretur, nisi scirem Casarianos, qui omnia etiã minima arripere solent: nihilque tam leue ducunt, vt non ex eo calumniam strui posse confidant, continuo, si nihil cõtrà diceretur, vociferaturos esse, hñc aquam (vt dici solet) defensionis hærere, hñc ré apertè teneri, tota hñc causa se superiores esse. Quare de illa quoque nõ nihil agamus. Aiunt, cum classis Turcica ad litus Africæ constitisset, paulò antè, quàm Tripolis obsideretur, nauem quandam bombardis, puluere bõbardario, globulisque onustam, ab eadem classe captam esse. Eam nauem simulatum fuisse Melitam mitti, magni Franciæ Prioris nomine: re tamen vera eo versus missam, vbi à Turcis excipi posset. Quasi verò tanta classis, quæ nuper à Cõstantino poli aduenerat, quæ nihil adhuc propemodum executæ erat, tali aliquo subsidio opus habuerit. Sed si stolidi homines scire possent, quãta sit Turcarum Principis potètia, cum rerum omniũ ad

bellum necessariarú , tum maximè talis instru-  
menti: puderet, credo, ipsos tãtã vanitatis. Nam  
quod ad bombardas attinet , non dubium est  
quin possit, vt & facit, cum libet , cõflare ad nu-  
merum quatuor millium intra vnus anni spa-  
tium: de qua re licet sciscitari à Venetis, aliisque  
qui rerum Turcicarum vsus aliquem ac periti-  
am habent. Pulueris autè tantum habet, quan-  
tum vult, propter nitrum , quo ita abundat , vt  
solo vecturæ impendio illi constet : petit enim  
à partibus Aegypti vicinis , vbi nitrarias habet  
ita vberes, vt nunquam exhauriri posse videan-  
tur. In ea porrò nauis , de qua ipsi dicunt , non-  
nullæ erant rerum eius generis copix , cõmp-  
tæ & comparatæ à pluribus eiusdem ordinis  
Equitibus: quas (vt est ipsorum cõsuetudo) ma-  
gni Prioris nomine in nauem illam imposue-  
rant, quæ tum forte quadam aduersa in classem  
Turcicam incidit. Ac propterea videri non po-  
test subsidio Turcis missa: nisi si cui credere li-  
bet, Equites sancti Ioannis esse Turcis amicissi-  
mos. Sed certè luditur opera , ac tempus frustra  
teritur oculis istis maleuolorum refellendis:  
cum præsertim in Regem iactat, vt quædam ro-  
ris guttulæ in magnum ignem leuiter asperxæ  
protinus absumuntur: sic illæ à clarissima & præ-  
stantissima eius fama facillimè diluantur. Qui  
quidem Rex, sicut multa quotidie documenta  
dat,